

gurium. Unus aliquis, si mortui conditio ferat, verba facit, neque rationem ullam ex iis prætermittit, quæ ad leniendam ægritudinem à dicendi magistris afferri solent. Excurrit in demortui laudes: hominem eum natum fuisse admonet, atque adeo morti obnoxium: qui casus emendari nequeant, fieri patientia leviores; alia id genus in eandem sententiam edifserit. Tertio die funus ducitur. Epulum funebre apponitur toti pago, singulis suam symbolam, nec malignè, conferentibus. Hujus epuli causas afferunt maximè tres: primam, ut communem mærorem leniant: alteram, ut qui amici peregrè ad funus veniunt, accipientur honestius: tertiam, ut gratificantur extincti Manibus, quem ea liberalitate delectari existimant, & appositis etiam dapibus pasci. Peracto convivio præfectus funeris, quem in singulis familiis clarioribus, certum atque insignem habent, adeffe tempus exequiarum proclamat. Omnes continuo lamentari, & ululare. Effertur cadaver propinquorum humeris, intectum fibrinis pellibus, & in feretro, è corticibus juncisve confecto compositum, collectis in glomum artubus, ut eo modo terræ mandetur, inquit, quo in alvo materna clim jacuit. Deponitur feretrum in constituto loco, munera quæ quisque offert mortuo, præfiguntur perticis: & appellantur illorum auctores à funeris præfecto: instauratur planctus; denique juvenes ludicro certamine inter se dimicant.

Majori sepeliuntur apparatu & luctu, qui aquis